



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Jus Congruum, Seu Protimiseos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

JUS CONGRUUM, SEU
PROTIMISEOS.

Jure optimo introductum fuit in *constitutions*, *Sancimus, de jure protimis*, in regno Neapolitano, & aliis partibus mundi, ex *Tiraq. de utroque retractu, in presat. nu. 1. & 2. Novel. de jure protim. §. quintus, num. 15. & 16.* ut qui vellet alienare, vendere, & dare in emphyteusim, seu locationem aliquod stabile, teneatur illud denunciare vicino, ut si ille vellet emere, conducere, seu si stare præferatur alteri extero, quia est de jure divino, & naturali, ex consuetudine, *Novel. loc. cit. in principio Constitutionis, nu. 25. Hieremias c. 23.* ubi habentur hæc v. r. *ba, Eme tibi agrum meum, quod est in Anahor: tibi enim competit ex propinquitate, ut emas; & inferius, Et tu propinquus es, ut possideas, Levitici cap. 25.* Sicut antiquus conductor debet præferri novo, quando offert tantundem pretii, quod offert novus, *l. prædia, C. de loc. præd. civil. lib. 11. Paul. de Cast. conf. 4. in 1. vol.* ubi dicit, quod in rebus Ecclesiæ non potest expelli primus conductor per secundum, si tantundem offert, & *conf. 32. eod. vol.* dicit semper de æquitate debere fieri eidem locari. *Rom. conf. 33. col. pen. idem tenet in emphyteusi, Luc. de Penna in d. l. prædia, faciunt ea quæ dicit Boner. dec. 47. & dec. 107.* ubi plus dicit, quod dominus volens vendere proprietatem, teneatur vendere illam emphyteutæ, *il le M. a. n. disputat. 8. de jure cong.* vide *Tiraq. de utroque retract. §. 1. gl. 18. & Afflict. dec. 238.* ubi dicit, quod

si e fuit decisum in sac. Conc. Neap. quoad ad colonum, secus quoad inquilinum, & Vinc. de Franc. *decis. 123. per totum*, imò, ubi adest consuetudo, quod res Ecclesiæ relocetur proximioribus, vel antiquis emphyteutis, est conformis juri communi, cum Ecclesia de jure possit cogi à proximioribus emphyteutæ, finalocatione, ad iterum eis locandum. *Bal. in li. §. permittatur ff. de aqua quot. & s. l. v. a. Caputaq. dec. 130. 1. p. & 303. & quando potest augeri census, dec. 304. & Beneventi adest ita u. um confirmatum à Sixto V. quod res relocetur priori emphyteutæ, vel ejus hæredibus. Sed quod dixi congruit.*

Primo, quando venderetur Ecclesiæ, vide *Constit. Neap. si Ecclesia emat, titulo de jure congrui*, per quam disponitur, quod Ecclesia nec agat, nec convenitur jure congrui.

Secundo, quando non fieret venditio, seu donatio:

Tertio, quando fieret permutatio, *Batt. in rub. de rer. permut.*

Quarto, ratione ingratitude, ut quia unus consanguineus, vel vicinus verberaverit consanguineum, vel vicinum, vel aliqua injuria, vel insidiis eum affecerit.

Quinto, fallit, quando non fieret venditio rei, sed daretur in solutum, *Guido Pap. q. 256. n. ult.*

Fallit sexto, in alienatione necessaria, in qua non habet locum jus congrui, *Cap. dec. 499. num. quarto*, *Novel. loc. cit. num. 18. & 19. & §. 4. n. 74.*

Septimo, fallit in donatione, si ve den-

tur

itur æstimata, sive inæstimata, *Novel. loc. cit. §. 5. n. 34.*

Quod fallit in venditione rerum feudalium; nam in his non est locus retractui, *Tiraq. de utroque retractu. §. 1. gloss. 3. num. 3.* Vinc. de Franch. *decis. 17. num. 2.* licet consuetudo illud admittat, vide alias fallentias in dicta Constitutione, *in vers. licet enim.* Sed quia inventa lege, invenitur fraus, aliqui interdum sunt qui vendunt realiter, sed clanculo, & postea faciunt contractum donationis, & hoc ob aliquod commodum suum, sed in fraudem vicini, ad hoc, ne ille possit allegare jus congrui, dubitatur primò, an hoc liceat in conscientia, & videtur quòd sic, quia nihil auferitur vicino, similiter, quando venderetur laico, & in contractu poneretur quòd venderetur Ecclesiæ, *Tiraq. in præfat. de retract. n. 72. & 78.* citatur etiam *Boer. dec. 144.* vide *Novel. de jure protim. §. quintus, num. trigésimo quinto. & infra.* Quando autem præsumatur fraus in hoc contractu, vide eundem *§. secundum, numero 150. & 151. n. 121.* Secundò, si veniret excommunicatio, ut si quis sciret fraudem contractus, revelet, an teneatur revelare? Respondetur quòd sic, & teneretur ad omne damnum, quòd imminuit vicino: sed quando conveniret cum altero de majori pretio, potest illi vendere, & non vicino, nisi fiat in fraudem, ut *supra*, quia tunc fieret fraus de contractu ad contractum, quòd non licet, *Dyn. in c. ult. num. 9. de reg. iur. in 6. & gl. c. plerique, in ver. præcepta, 14. q. 3.*

Primum dubium, an & quando venditur clerico non ratione Ecclesiæ, sed

propter commodum ipsius clerici, possit allegari à vicinis jus protimiseos? Afflict, *in d. constit. columna quarta*, dicit quòd sic: sed in *§. est autem, n. 15. eiusdem constitutionis.* dicit quòd non, tamen primam pro veriori affirmat *Maranta in d. disput. & Capyc. decis. 98. num. 2.* idem confirmat *Novel. ubi supra, §. 8. & 9. n. 33. & 34.*

Secundum dubium, an in contractu censuali ad tempus, vel cum pacto de retrovendendo, vel in perpetuum; & in annuis redditibus, & fructibus pendentibus, sit locus constitutioni huic? Vide in *ver. contractus censualis, §. 6.* & pro tunc dicitur quòd sic, quia constitutio loquitur etiam de contractu emphyteutico, & locationis, qui sunt minoris ponderis, quam censualis, vide *Novel. loc. cit. §. primus, n. 209. & §. secundus, à num. 81. & n. 107. & infra, & §. sextus, nu. 51. & 52.* vide *Afflict. decis. 338.* & an habeat locum jus congrui in contractu simulario, *decis. 329.*

Tertium dubium, an hoc jus congrui, vel prælationis possit alteri cedi per eum, cui competebat, *Guid. Pap. q. 42. numero primo,* videtur dicere quòd non, & *q. 257. numero 5.* se remittit ad ea, quæ dicit *Aret. in l. usufructus, circa principium, ff. de novi oper. nunc.* *Tiraquel. de utroque retract. tit. primo, §. 26. gl. prima, numero primo.* ubi habetur, an & quando possit hoc jus cedi. Hinc deducuntur multa. Primum: Emptor rei congrui iuris non tenetur, nisi prius solutis, vel depositis solvendis, vel deponendis, *Boer. decis. 77. in fine.* Secundum Ecclesia, licet quando vendit, non habeat retractum,

tamen quando emit potest habere, Boer. *decisione 23. numero secundo*, & ita dicit esse consuetudinem in Francia; tamen in regno nec activè, nec passivè Ecclesia habet jus congruum. Afflict. *de iure protim. §. tota, numer. 33. & §. est autem, numero 33. & Novel. ubi sup. §. 8. & 9. num. 29. idem dicitur de Curia, & de via publica, & de Scholis, & confraternitatibus, §. 8. & 9. nu. 43.*

Quartum dubium, an illi, ad quos pertinet hoc jus prælationis, possint petere juramentum ab emptore, & venditore, utrum contractus sit verus, paliiatus & in fraudem illorum. Affirmativè respondetur, & illi tenentur jurare, & si pejerarint, possunt puniri pœna perjurii, & pœna venditoris, est amittere pretium & emptoris, rem emptam, Afflict. *ubi sup. in ver. 7. notat. ver. 21. car. So. Novel. loc. cit. §. 5. numero 50. & infra.*

Tertium dubium, denuntiatio rei venditæ fieri debet infra triginta dies, aliàs amittit jus, quod habet. Novel. *in constitutione, num. 8. & §. tertius, num. 47. Afflict. ubi supra, §. ut infra, fol. 38. pro materia juris congrui, vide Bull. Leon. X. & Sixti IV. & Pii V. Bulla 128 quæ incipit, ad hoc nos, & aliam 134. quæ incipit, Tanta est, ubi disponit, quod domini de eorum bonis liberè possint disponere etiam non requisitis inquilinis, Greg. XIII. Bull. 25. quæ incipit, Quæ publice. Sixtus enim IV. Leo X. & Pius IV. fecerant quasdam constitutiones, quarum vigore vicini tenebatur domus vicinis vendere in certis casibus, & quod inquilini domorum venden-*

darum requiri deberent, quas Bullas Pius V. prædicta Bulla 134. revocavit, easque reduxit ad terminos juris communis, vide Caputaq. *dec. 73. & 77.*

JURAMENTI ABSOLUTIO.

SUMMARIUM.

- 1 *An in absolute à juramento, qua potius habitatio dici debet, requiratur partis adversæ citatio.*
 - 2 *Num in omnibus contractibus detur ista habitatio indifferenter.*
 - 3 *Quæ clausula requiratur in habitatione hac:*
 - 4 *Quenam juramenta possint ab Episcopo absolvi, seu habitari.*
 - 5 *A quo petenda est absolutio sive habitatio.*
 - 6 *An & quando requiratur priusquam jurans agere possit.*
 - 7 *An possit concedi, etiam in vicia parte adversa.*
 - 8 *An perjurus possit petere hanc habitationem sive absolutionem.*
 - 9 *An iudex laicus possit admittere actionem contra contractum iuratum sine precedente absolutione.*
 - 10 *An iudex Ecclesiasticus possit punire laicum perjurum, & quæ sunt pœne perjurantium tam laicorum, quam ecclesiasticorum.*
- A**D Primum, oportet distinguere nam si cum habitatione juramenti sequeretur ipsius contractus irritatio, tunc opus esset ut præmittatur partis adversæ citatio, *Co var. lib. 1. capi. 4. numero 5. versic. id verò, var. resol. & capi. 14. nu.*